



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Ite[m] de illa gr[ati]a sp[irit]us sancti, quæ est op[er]atio uirtutu[m],
qu[omod]o illa[m] malefici cora[m] Pharaone emulati sunt et no[n]
ualete[n]tes subsistere dixer[un]t, digitus dei est hic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

Ille misit. Dixerunt ei: Quod ergo tu facis signum, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto. Denique quicquid fecisset aut facere uellet, non esset eis sicut Moyses, nisi eorum & curiosos oculos eiusmodi miraculis pasceret, & ociosos uentres cibo semper impleret. ¶ Itaque quod dixerat Moyses, Prophetā de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus deus tuus, pro ueritate naturae humanae dictum, recte intelligitur, quia futurum erat: & reuera sic factum est ut filius dei secundum hanc fieret sicut Moyses, id est, uerus homo, sicut in Iob scriptum est, & nos meminimus longe superius, si fuerit pro eo angelus, loquens unum de similibus. Nam in cæteris loge hic plus quam Moyses. Et ut de charismatibus spiritus sancti ceptum sermonem peragamus: multa bona, secundum omnes eiusdem spiritus sancti operationes sive ministrations operatus est, excepto quod genera linguarum ore proprio non exeruit, quam spiritus sancti gratiam, postmodum Apostolis suis dedit, & insuper, remissionem peccatorum per eundem spiritum sanctum solus operatus est.

¶ Item de illa gratia spiritus sancti, que est operatio virtutum, quomo^ddo illam malefici coram Pharaone emulati sunt, & non va^rentes subsistere, dixerunt, digitus dei est hic.

Caput .X.

PRÆCLARAM hanc spiritus sancti gratiam, scilicet operationem virtutum, qua Moyses in ueritate magnus fuit, æmulator nunc usq; spiritus mendacij, sicut iam tunc coram Pharaone æmulatus est quoad usque potuit, sicut scriptum est. Dum enim proieceret uirgam & uersa esset in colubrum; & iterum, cum percussisset uirga aquam fluminis, & uersa esset in sanguinem, ac, cum tertio extendisset manum super aquas Aegypti, & ascendissent ranae, & operuerissent terram: fecerunt malefici per incantationes suas similiter, sed erat mendacium in uisu, quia non erat ueritas in sensu. Quando uentum est ad cyniphes, ut percusso puluere terræ essem cunctis tam in hominibus quam in iumentis, non solum importunæ uisu, uerum etiam mordaciter molestæ in sensu, non potuerunt stare malefici, & dixerunt: Digitus dei est hic. ¶ Unde miramur, quod efficaciam istam spiritus sancti, scilicet operationem virtutum, scierunt homines eiusmodi nominare digitum dei, sicut & illud miramur, unde scierit Nabuchodonosor nominare filium dei. Dicit enim: Ecce ego video uiros quatuor solutos & ambulantes in medio ignis, & species quarti similes filio dei. Sicut illic, operantibus magis illis, hanc potentiam dighiti dei, scilicet, operationem virtutum, æmulatus est spiritus mendacij: ita & maxime in illo iniquo æmulabitur, cuius est aduentus (ait Apostolus) secundum operationem Satanae in omni uirtute & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod charitatem ueritatis non receperunt ut salui starent, & ideo mittet illis deus operationem erroris ut credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderint ueritati, sed consenserint iniquitati. ¶ Nisi enim Pharaoni illi similes fuissent, & (ut uerbis utar eiusdem Apostoli) nisi ueritatem dei in iniustitia detinuissent, quia quod notum est dei manifestum est illis. Nisi inquam propositum haberent, penetrare domos, & captiuas ducere mulierculas, id est, animas misereras, oneratas peccatis: secundum similitudinem illius Pharaonis, cui propositum fuit, dominum nescire, & Israelem non dimittere, non mitteret eis, non permitteret ad eos uenire dominus spiritum mendacij, homines mendaces, resistentes digito dei, contra dicentes quoad possunt sancto spiritui, similes magis illis, unde & protinus dicit. Quemadmodum autem Iannies & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt ueritati. Et quid tandem. Insipientia (inquit) eorum, manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

¶ Be trina benedictione nominis domini, quam dominus peracto tabernaculo mandauit Moysi, dicens: sic benedicis sibi Israbel: & de eo quod ait, inuocabunt nomen meum super filios Israbel, & ego benedicam eis. Caput XI.

Quomodo Christus fuit sicut Moyses

Iob, 33

Aemulator
miraculorum
spiritus mendacij
Exo. 7, & 8

Confessio dæ
monii de digi
to & filio dei.

Dani, 3

z. Thess, 2.

Hæretici Rha
raoni similes
& magis eius
Rom. 1.

z. Tim, 3

Exo, 5

z. Tim, 3

Post